DISSERTATIO MEDICA

INAUGURALIS,

DE

FEBRE INTERMITTENTE.

DISSERTATIO MEDICA
INAUGURALIS,
DE
FEBRE INTERMITTENTE.

QUAM,

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

Ex Auctoritate Reverendi admodum Viri,

D. GEORGII BAIRD, S. S. T. P.

ACADEMIÆ EDINBURGENÆ Praefecti;

NEC NON

Ampliſſimi SENATUS ACADEMICI conſenſu,

Et nobiliſſimae FACULTATIS MEDICÆ decreto,

PRO GRADU DOCTORIS,

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS;

Eruditorum examini ſubjicit

ROBERTUS BEVERLEY SPRATT,

VIRGINIENSIS,

Societat. American. Phyſic. Edin. Soc. Extraord.

Ad diem 12. Septembris, hora locoque ſolitis.

EDINBURGI:

Apud BALFOUR et SMELLIE,

Academiae Typographos.

M,DCC,XCIII.

Digitized by the Internet Archive
in 2020 with funding from
Wellcome Library

https://archive.org/details/b31969045

Viro illi eruditiſſimo,

HONORABILI RADULPHO WORMELEY,

ARMIGERO,

DE ROSEGILL IN VIRGINIA,

Tam honeſtarum literarum ſcientia,

Quam ſumma in me meoſque amicitia,

Collocata,

Inſigni;

Item

REVERENDO SAMUELI KLUG

Et

OVERTON COSBY,

ARMIGERO;

Illi, ob plurima quibus mihi puero

Conſuluit;

Huic, ob inſignem

Qua me nuper dignatus eſt

Amicitiam;

Has ſtudiorum primitias

Sacras eſſe volo,

ROBERTUS B. SPRATT.

DISSERTATIO MEDICA

INAUGURALIS,

DE

FEBRE INTERMITTENTE.

Auct. R. B. SPRATT.

CUM legibus hujus Cel. Academiae ſancitum ſit, ne quis, qui diſſertationem ſui in medicina progreſſus teſtimonium publici juris non faciat, ad ſummos in medendi arte honores evehatur; ego igitur paucula de febre intermittente, quippe quae in regionibus calidis longe lateque dominatur, et idcirco attentionem noſtram merito ſibi vindicat, conſcribere ſtatui.

De hoc vero morbo diſſerere ſtatui; non quia aliquid novi in lucem proferre habeo, ſed ut uberiorem ejus ſcientiam adipiſcerer. Frequens enim admodum morbus eſt, et quem haud multo poſt meum fortaſſe ſit ſaepenumero curare.

Febres intermittentes varie quidem a variis auctoribus definiuntur: Cel. Culleni definitio caeteris omnibus nobis anteponenda videtur: Haec verba quae ſequuntur abſolvitur.

"Febres miaſmate paludum ortae, paroxyſ-
"mis pluribus, apyrexia, ſaltem remiſſione evi-
"dente interpoſita, cum exacerbatione notabi-
"li, et plerumque cum horrore redeuntibus,
"conſtantes; paroxyſmo quovis die unico tan-
"tum."

Intermittentium febrium variae ſunt ſpecies, quae, pro intermiſſionis duratione, diverſis nominibus

nibus inſignitae ſunt. Sed, cum de febre intermittente tantummodo generatim dicere ſtatuerim, de his ſpeciebus ſingulatim diſſerere, mihi non in animo eſt; eoque magis, quod ex iis, quae in diverſis regionibus, de his febribus nuper obſervata ſunt, eandem medendi rationem omnibus aeque convenire ſatis conſtat. Praemiſſa jam morbi definitione, ad pleniorem ejus hiſtoriam tradendam feſtinamus.

Accuratiſſimam, quam nobis videre contigit, intermittentis hiſtoriam eidem Culleno debemus; hanc igitur, ex Anglico in latialem verſam, ſubjungere juvabit.

HISTORIA MORBI.

Aeger initio languoris debilitatiſque ſenſu afficitur; hunc inertia, movendi difficultas, haſ-

que

que oſcitatio et pandiculatio, cui vix reſiſti poteſt, excipiunt: Facies ſimul corporiſque extrema pallore afficiuntur; vultuſque lineamenta, omniumque partium extremarum moles, minuuntur; cutiſque per totum corpus conſtringi videtur; non aliter quam ſi frigus eidem admotum foret.

His ſignis ſupervenientibus, aliquis frigoris gradus parum ab aegro ipſo ſentitus, alteri tamen ſatis facile percipiendus, aegrum afficere ſolet.

Tandem aeger ipſe frigoris ſenſum percipit, primum plerumque in dorſo, unde in totum corpus diffunditur; jamque cutis aegri aſtantibus calida videtur.

Hic frigoris ſenſus auctus artuum omnium

tremorem,

tremorem, corporiſque trunci ſuccuſſum rigoremque frequentes, inducit.

Poſtquam frigoris ſenſus, ejuſdemque effectus aliquandiu perſtiterint, remittunt; calorque alternans eoſdem excipit.

Frigoris ſenſus penitus paulatim evaneſcit; calorque naturali major dominatur, et in totum corpus diffunditur: Suuſque cuti color ſimul reſtituitur, ruborque praeter naturam, praeſertim in facie, conſpicitur.

Calore et rubore ſupervenientibus, cutis laxa atque laevis evadit; ejuſdem autem ſiccitas aliquandiu perſtat.

Oris lineamenta, caeteraeque corporis partes, priſtinam et ſolitam ſuam molem recuperant; imo naturali majora fiunt.

Poſtquam calor, rubor, et tumor, aucti per aliquod

aliquod tempus perſtiterint, humor in fronte, qui paulatim ad ſudorem uſque augetur, et in totum corpus diffunditur, ſe oſtendit.

Hoc ſudore manante, corporis calor remittit ; ſudorque, poſtquam aliquamdiu perſtiterit, paulatim minuitur, donec tandem ceſſat, corpus ad temperiem naturalem redit, pluresque ejus functiones conditionem ſuam naturalem recuperant.

Hic ordo ſignorum paroxyſmum in tria ſtadia dividendi anſam praebuit: Haec Stadia vocantur, Stadium frigoris, Stadium caloris, et Stadium ſudoris.

Dum haec ſtadia curſus ſuos abſolvunt, caeterae corporis functiones inſignes mutationes ſubeunt.

Pulſus, languore inſtante, aliquando tardior et ſemper debilior quam antea micat.

Obrepente

Obrepente frigoris ſenſu, idem fit minor, admodum velox, et ſaepe abnormis.

Remittente frigoris ſenſu, et ſuperveniente calore, pulſus durior, plenior, et magis regularis fit; et haec omnia augentur, donec ſudor prorumpit.

Manante ſudore, pulſus mollior et minus frequens evadit, donec tandem, ſudore penitus ceſſante, ad ſtatum ſuum naturalem redit.

Reſpiratio quoque ſuas mutationes ſubit; premente enim ſtadio frigido, parva, frequens, et anxia fit, et tuſſi aliquando comitatur.

Superveniente caloris ſtadio, ſpiritus plenior ac liberior evadit; adhuc tamen eſt frequens et anxia; donec ſudor dimanans anxietatem levat, et reſpirationem liberiorem et minus frequentem

quentem reddit. Ceſſante ſudore, reſpiratio ad conditionem ſuam ordinariam redit.

Functiones pariter naturales mutationes ſuas ſubeunt: Inſtante frigoris ſtadio, cibi appententia ceſſat, non niſi finito paroxyſmo, vel poſtquam ſudor aliquandiu manaverit, reditura.

Urgente paroxyſmo, cibi appetentia non ſolum abeſt, ſed etiam omnis cibi ſolidi, et praecipue animalis, faſtidium adeſſe ſolet: Progrediente frigoris ſtadio, nauſea et vomitus frequenter ſuperveniunt: Quodque rejicitur, id plerumque ex felle maxima ex parte conſiſtit.

Hic vomitus ſtadio frigido finem plerumque facit; et calidum inducit.

Progrediente caloris ſtadio, nauſea ac vomitus remittunt; et, prorumpente ſudore, penitus plerumque ceſſant.

Sitis

Sitis ſatis magna per totum paroxyſmi decurſum plerumque ſentitur: Urgente frigoris ſtadio, haec ſitis, ex oris ac faucium ſiccitate ac viſciditate, aeſtuante vero ſtadio calido, a calore, qui in totum corpus diffunditur, pendere videtur; et, ſudore fluente, os magis fluidum fit; ſitiſque cum corporis calore paulatim remittunt.

Progrediente paroxyſmo, ſecretionum conditio ſaepe inſigniter mutatur; quae modo diximus de ſiti, quae paroxyſmum comitatur, hoc de ſaliva, et oris muco, verum demonſtrant; haec autem mutatio in urinae ſecretione, multo magis inſignis exiſtit.

In ſtadio enim frigido, urina eſt pallida, ſine nubecula, aut ſedimento. In ſtadio calido, ejus color magis intenditur, et ruber evadit; nullo tamen adhuc ſedimento apparente: Poſtquam autem ſudor aliquandiu libere manaverit, ſedi-

mentum plerumque lateritium, hoc aliquandiu poſt paroxyſmum ſublatum, deponit.

Alvus, ſi exempla quaedam rariora, quae per totum morbi decurſum diarrhoea comitantur, excipias, raro niſi paroxyſmi finem verſus dejicitur: Tunc enim haud raro dejectiones plerumque quidem liquidae obſervantur.

Si tumores forte in corporis ſuperficie exiſtant, urgente ſtadio frigido, ſubito et inſigniter detument: Plerumque tamen, etſi hoc perpetuum non ſit, ſudore promanante, priſtinam ſuam molem recuperant.

Ulcera pariter ſtadio frigido areſcunt; poſt ſudorem, vel finito paroxyſmo, humorem denuo profuſura.

Animi

Animi functiones ſuas quoque in hoc morbo mutationes ſubeunt: Stadio enim frigido ſentiendi facultas ſaepe admodum minuitur: Stadio autem calido inducto, haec vis recuperatur, et non raro inſigniter augetur.

Quod functiones ad intellectum pertinentes attinet, frigido ſtadio ſuperveniente, attentio, et recordatio, difficiles, hocque plus minus per totum paroxyſmum, fiunt: Hinc quaedam animi perturbatio exoritur, quae ſaepe uſque ad delirium augetur, quod interdum, ineunte ſtadio frigido, frequentius autem non niſi ſtadio calido inducto, ſupervenit. Hujus quoque loci eſt animadvertere, ſtadium frigidum cum ſomnolentia et ſtupore, quae ſaepe ad coma intenduntur, aliquando febricitanti obrepere: Neque praetereundum eſt capitis dolorem, aliquando mature in ſtadio algido, frequentius autem, non niſi ſtadio calido premente, ſupervenire; tuncque dolor

lor ille temporum pulſatione comitatur, et perſtat donec ſudor prorumpit: Hoc autem libere manante, ille paulatim decedit; ſimulque dorſi, quorundamque articulorum majorum dolores, qui eundem ac capitis curſum percurrunt, adeſſe ſolent.

Haec ſunt omnia, vel ſaltem praecipua phaenomena, quae plerumque in febris intermittentis paroxyſmo obſervantur; eorundem concurſum ordinarium, ordinemque quo ſe invicem excipiunt, indicavimus. Quod autem ad omnia haec ſigna attinet, obſervandum eſt, eadem in diverſis exemplis plus minus gravia exiſtere, eorundemque ſeriem eſſe magis minuſve perfectam, tempuſve quod diverſa ſtadia ſecum invicem collata durant, eſſe diverſum.

CAUSAE

CAUSAE MORBI.

De cauſis remotis.—Cauſae remotae ſunt duplices; praediſponentes, ſcilicet, et excitantes.

Cauſae praediſponentes.—Cauſae praediſponentes illae ſunt, quae certum ſtatum inducendo, corpus actioni cauſarum excitantium opportunum reddunt. Inter has, ſunt omnia quae corpus infirmant, qualia ſunt frigus cum humore, ebrietas, Venus nimia, diaeta parum nutriens, metus *, omneſque affectus animi deprimentes, et morbi praegreſſi.

Cauſae occaſionales vel excitantes.—Cauſae excitantes iſtae ſunt, quae, in corpore opportuno facto,

* Vid. Van. Swiet. Com. upon Boerhaave's Aph. vol. vii. p. 205.

to, morbum cient. In noſtro morbo eſt miaſma paludum, cujus natura parum adhuc intelligitur. Quaeſtionem lubricam de cauſa intermittentis proxima, quippe quae forſan parum intelligitur, de induſtria praetermittimus; celeb. Pringelii opinionem amplectentes, qui ſic ſcribit. "But in theſe reſearches, as ſo much depends "upon the action of parts, which have laws "peculiar to themſelves, and are imperfectly "known, it ſeems better not to form an hypo"theſis at preſent, but to wait till further diſ"coveries be made in the animal oeconomy*."

Ut hoc itidem facerem, et Pringelii auctoritate adductus ſum; et adhuc magis ea clar. Gregorii, qui his verbis de cauſa morborum proxima, generatim dicit. "Cauſam vero proxi"mam quod attinet, ipſa ejus notio generalis, "ſi non prorſus falſa, ſaltem confuſa admodum "eſt,

* Vid. Pringle's Diſeaſes of the Army, p. 186. edit. 1765.

" eſt, et obſcura, et temere a rebus abſtracta.
" Quaerunt enim medici, et non facile inveni-
" entes, ſibimet fingunt aliquid cauſae omnis
" morbi, unde iſte morbus oriatur, eodem fere
" modo, ac variae mutationes vel effectus, quae
" in rebus inanimatis obſervantur, a ſuis cauſis
" proveniunt. In plerifque autem affectionum,
" quas morbos vocare ſolemus, nihil iſtiuſmo-
" di exiſtere videtur, neque profecto exiſtere
" poteſt; et talis notio plane oritur a male in-
" tellecta natura, tum corporis ipſius, tum quo-
" que morborum qui in eo fiunt. Morbus
" enim non eſt unus et ſimplex eventus vel mu-
" tatio, qualem in rebus inanimatis contempla-
" ri ſolemus, et effectum vocare; ſed ſeries,
" ſaepe longa, talium eventuum vel mutatio-
" num; quarum aliae aliis cauſae videntur eſſe.
" Fieri quidem poteſt, ut, ſublata una alterave
" harum, tota ſeries vel abrumpatur, vel brevi
" deſinat; et ſic morbus in ſanitatem mutetur;
" ſed

" ſed hoc minime perpetuum eſt, neque in om-
" ni morbo, neque in quolibet fere morbo om-
" ni tempore. Praeterea, corpus ipſum longe ali-
" ter ſe habet ac res inanimatae, quod ad mu-
" tationes quae in eo fiunt, et cauſas, ſive exter-
" nas ſive internas, unde hae proveniant. In-
" eſt enim corpori vivo principium aliquod
" mutationis, ſimile quodammodo illi quod in
" herbis obſervatur, et longe alienum a natura
" materiae inanimatae aegre definiendum, non-
" dum ea qua par eſſet diligentia et accuratio-
" ne exploratum, vitale principium haud inep-
" te nominandum, cui vix minus quam cauſis
" vulgo obſervatis tribuendae ſunt plurimae
" mutationes, tam morboſae quam ſalutares, quae
" corpori contingunt.—Haec quum ita ſint,
" non mirum eſſe poterit multa medicorum
" commenta, de cauſis proximis variorum mor-
" borum prorſus futilia eſſe, et non modo falſa,
" ſed adeo confuſa et obſcura, ut vix poſſint in-
" telligi,

" telligi, neque fortaſſe, ab ipſis eorum auctori-
" bus, unquam ſatis intellecta fuerint *."

Deſcrimina febrium intermittentium, ſive earundem ſpecies et varietates diverſae pendere videntur, ex corporis conditione, forſitan debilitatis gradu, vi miaſmatis, anni tempeſtatibus, et terrae locis.

Hanc ſententiam ſatis probabilem reddit cel. Jackſon, qui ſic ſcribit. " In the ſpring and " beginning of ſummer, the ſingle tertian was " the moſt uſual type of the endemic of Ame" rica in every province which the regiment " viſited; the paroxyſms were diſtinct, and the " intermiſſions were generally perfect.—In the " months of June, July, and Auguſt, double " tertians were common, and, in ſome ſituations,

 " baniſhed

* Vid. Gregor. Conſpect. Med. Theoret. tom. 1. p. 27. 29.

" baniſhed every ſimpler form. As the weather
" turned cool, the ſingle tertian reſumed its place;
" ſo that any other type was ſcarcely ſeen.

" I may alſo remark, that beſides ſeaſon, climate had a conſiderable effect in modifying the appearances of the diſeaſe. It thus happened, that the type was generally ſingle tertian on York Iſland, even in the heat of ſummer: In Georgia, the ſingle-tertian was the prevailing form, only in the winter and ſpring. In ſummer and ſome part of autumn, double tertians were common; and types of ſtill greater complication frequently made their appearance during this period, in ſome particular ſituations of the province. The prevailing type of the climate of South Carolina was ſingle tertian, even in the ſummer and autumn; yet, where the forms of the diſeaſe was in a high ſtate of concentration, as at the

" Cheraws,

" Cheraws, the type was often ſo complicated, " that remiſſions were ſcarcely diſcernible.

" But, beſides theſe changes, which are more " general and certain, we likewiſe find that the " accidental circumſtances of local ſituation " often produce very remarkable effects.

" In this manner, though the type of the " fever which prevailed on York Iſland was " properly ſingle tertian, yet double tertians, " and even more complicated forms, were not " by any means rare in part of a battallion, " which lay contiguous to a ſwamp *."

PROG-

* Vid. Jackſon on the Fever of Jamaica and North America, p. 307-8.

PROGNOSIS.

Febris intermittens plerumque (ſed praecipue in regionibus temperatis) periculo vacat; ſi initio perite tractatur, plerumque cito ac certe ſanatur: Si autem medicamenta inertia adhibeantur, ſaepe diu perſtat; et morborum, qui tandem aliquando exitium afferunt, fundamenta jacit.

Intermittens nonnunquam ſignorum gravitate aegrum rapit; periculum autem ſaepius oritur a viſcerum ſchirro, dyſenteria, aut hydrope, qui morbi quibuſdam intermittentibus, imperite tractatis, aut naturae relictis, ſupervenire ſolent.

Praeter autem pericula, quae ex ſignorum violentia

violentia aut morbi effectibus imminent, haud raro, in quarundam anni tempeſtatum, et terrae locorum, intermittentibus peculiarem malignitatis characterem, ad quem medici animum ſumma cura advertere debebunt, invenimus.

Signa hujus malignitatis ſic a cel. viro ſupra laudato deſcribuntur.

"It was ſometimes obſerved that the countenance of the patient was fluſhed, but at the the ſame time dark and overcaſt, or that it was of a greaſy and duſky appearance, with a look of ſternneſs and deſpondence in the eye. Thoſe appearances, particularly where a white glutinous covering appeared on the tongue, were conſtantly indications of concealed or lurking danger."

RATIO

RATIO MEDENDI.

Cum ex dictis febris intermittens variet pro anni tempeſtate, et hinc a quibuſdam in vernas et autumnales diſtribuantur *, cumque corporis conditio haud raro diverſa ſit ; modo enim diathesis phlogiſtica, modo ingens debilitas adeſt ; manifeſtum erit, remedia his diverſis corporis conditionibus eſſe accommodanda.

Praecipua remedia ſunt.

1. *Emetica.*

---

* Primus qui hanc diſtinctionem inſtituit ſagax fuit Sydenhamus : Et, quanquam utriuſque tempeſtatis paroxyſmi eadem formam induunt, non dubitat ſummus ille medicus, quin tota ſua natura diſcrepent ; " Interim " tamen non dubito quin febres iſtae tota ſua natura, ſive " eſſentialiter, diſtinguuntur." Vid. Sydenham. Op. Univerſ. p. 82. edit. 1736.

1. *Emetica.*—Quae, a multis quidem medicis, penitus neceſſaria, habentur: Nonnulli quidem opinantur, morbi ineuntis medelam emeticis ſolis eſſe concredendam; haec autem opinio admodum anceps videtur: Nam, in exemplis in quibus magna debilitas urget, et imprimis in regionibus calidis, et tempore aeſtivo et autumnali, praeſertim ſi remiſſiones obſcurae ſunt, non vel ſaltem cum ſumma cautione praeſcribenda videntur *.

Quando quidem diatheſis phlogiſtica adeſt, quod plerumque tempore verno contingere ſolet, emetica, et praecipue antimonium tartariſatum, non ſine magno fructu, adhibentur: In hujuſmodi quidem exemplis, bonis cinchonae officinalis effectibus inſigniter favere ſolent.

2. *San-*

* Vid. Hunter's Obſervations on the Diſeaſes of the Army in Jamaica, p. 115.

2. *Sanguinis detractio.*—Quae in caſibus in quibus neceſſaria judicatur caeteris omnibus remediis praemitti debet *.

Hoc quidem remedium in quibuſdam exemplis profuiſſe conſtat; ſignorum violentiam compeſcit, et quamdam corporis conditionem, quae bonis corticis Peruviani effectibus obſtat, ſummovere ſolet. Hoc autem remedium in regionibus calidis, praeſertim aeſtate aut autumno, raro adhibendum videtur; in hujuſmodi enim exemplis morbi recurſui favere videtur.

3. *Cathartica.*—Quae haud raro quidem ad febrem intermittentem ſanandam uſurpata fuerunt †. Cel. Jackſon opinatur medicamenta cathartica

* De uſu V. S. in Febr. Intermitt. Vid. oper. vir. clar. Cleghorn et Monro.

† De hac re conſule Wade's method of curing Fevers.

cathartica in paucis exemplis, ſine periculo, omitti poſſe; inſigni enim vi (inquit) in morbi forma regulari reddenda pollent. Ad morbum autem brevi tollendum minime valere.

Jamque evacuantia, quae cinchonae officinalis uſui praemittenda, plures auctores exiſtimant, recenſuimus. In regionibus autem calidis, praecipue aeſtate, caute adhibenda ſunt. Morbum enim in febrem continuam, in his locis ac temporibus, mutare ſolent.

4. *Cortex Cinchonae Officinalis vel Peruvianus.*—Qui quidem eſt princeps medicamentum cui in febribus intermittentibus ſanandis fidendum eſt.

Ut autem votis noſtris reſpondeat, pulveris forma, et doſibus, quantas ventriculus ferre po-

teſt, praeſcribendus eſt.—Drachmas duas ſecunda quaque hora, tempore intervalli, praeſcribere ſolebat cel. Jackſon.—Hoc modo morbum, dierum ſeptem ſpatio, ſanatum aſſerit. Corporis exercitatio eodem tempore praeſcribenda; inſigniter enim ad morbum tollendum confert.

Quaeſtio vero nunc oritur, de eo morbi tempore in quo optimo cum ſucceſſu exhiberi poſſet. Conſenſere equidem plerique cort. cinchonae in genere tutiorem eſſe poſt aliquot paroxyſmos toleratos; aut, ut ait Sydenhamus, poſtquam febris ſe marte ſuo aliquantiſper protriverit. Verùm, ubi magna urget debilitas, et graves paroxyſmi periculum minantur, ad corticem illico confugiendum eſt *.

Neque praetereundum eſt, corticem multo efficatiorem

* Gregor. Praelect. de Med. Pract.

ficaciorem eſſe, ſi praeſcribatur modo a celeb. Home invento, qui, poſt plurima in hunc finem experimenta inſtituta, dicit: "From theſe expe-"riments we may conclude, that the bark is "more efficacious in ſtopping the paroxyſms "of intermittents, and curing the diſeaſe, when "given at the end of a fit, or at forty hours "diſtance from the ſucceeding fit, than two, "three, or four hours before *."

Quantitas corticis jam dicta plerumque caſibus ordinariis ſanandis par invenietur: In exemplis autem magnae debilitatis, ubi periculum inſtare videbatur, doſis ad ſemunciam vel ultra augebatur a cel. Jackſon, qui aſſerit uncias duas corticis, intra ſpatium horarum octo vel decem aſſumptas, plus dupla quantitate longis interval-

lis

* Vid. Home's Clinical Experiments.

lis devorata profuiſſe; quod notavit quoque Doctiſſ. Torti *.

In quibuſdam quidem exemplis, cortex vomitu rejiciebatur; haud minus tamen profuiſſe videbatur, quam cum nihil tale accideret, ut idem auctor aſſerit.

Quandocunque ſigna maligna, quae ſupra memoravimus, ubi de prognoſi egimus, ſe oſtendunt, ad corticem ſtatim confugiendum erit; in hujuſmodi caſibus enim evacuantia remedia admodum nocent.

In quibuſdam quidem exemplis, cortex, licet doſibus et modo jam dictis praeſcribatur, ſpem tamen noſtram fallit: Admodum utile quidem res circumſtantes, quae bonis ejus effectibus obſtant,

* Ther. Spec. l. 3. c. 3.

ſtant, inveſtigare; hoc autem penſum difficile videtur.

Supra quidem obſervavimus, corticem, in exemplis diatheſi phlogiſtica comitatis, fruſtra praeſcriptum fuiſſe; hinc forſan evenit, ut huic medicamento minus tempore verno quam autumnali fidendum ſit.

Praeter diatheſin phlogiſticam, aliae res circumſtantes a cel. Jackſon adſuiſſe feruntur, quae ſalutaribus corticis effectibus obſtabant; has autem res cognoſcere difficile eſt; eas autem inter et quae jam ſequuntur, pulſum nimirum parvum ac durum, vel pulſum obſcurum, vel qui motu repente et vermiculante micat, nexum aliquando intercedere obſervavit; his ſignis interdum accedebant cutis aſtricta, humor ejuſdem viſcidus, ſine ſignis liberae exhalationis, cum ſignis abnormis vis nervoſae actionis.

In

In hujuſmodi exemplis, cortex magna quantitate fruſtra devoratus eſt; interdum ſane antiſpaſmodicis, qualia ſunt opium, et antimonialia, conjunctus, votis reſpondit.

In hujuſmodi autem exemplis, veſicatoria occipiti, aut parti cervicis poſteriori impoſita, prae caeteris remediis profuerunt.

In quibuſdam exemplis, morbus, cum primum admota fuerunt, evanuiſſe fertur; nec ullus caſus poſt eorundem uſum corticis actioni ſalutari amplius obſtabat.

Medicamentum ex corticis Peruviani uncia, et radicis ſerpentariae Virginienſis drachmis duobus conflatum, egregios effectus praeſtitiſſe, idem auctor refert: Sanatio enim magis perfecta ac permanens extitit: Proclivitas in morbi recur-

ſum

ſum erat minor, et hydrops ac dyſenteria rarius ſupervenerunt.

Praeter corticem Peruvianum, plurima alia remedia ad febrem intermittentem ſanandam adhibita fuerunt, qualia ſunt Alumen Nuci Moſchatae conjunctum *; Extracta Gentianae, Cicutae; Cortex Caſcarillae; Flores Chamaemeli; Cortex Anguſtura †, ſicuti vulgo appellatur, quae, uti ex obſervationibus tam in India Occidentali quam in Britannia factis, conſtat, inſigni vi in febribus arcendis pollet, et in quibuſdam febris intermittentis exemplis, quibus cinchona officinalis incaſſum apud Indos Occidentales tentata eſt, uti fide dignis certiores facti ſumus, felici eventu adhibita eſt. Si hoc remedium tentatum votis noſtris minus reſponderit, confugiendum eſt ad unum quod ſupereſt medicamentum, *arſenicum* nimirum *album*, quippe quod raro aut nunquam expectationem noſtram fallit; hoc, teſtantibus

* Lind on the Diſeaſes of Hot Climates, p. 307.

† Brand's Treatiſe on the Cortex Anguſtura.

teſtantibus cel. Doctore Fowler, Staffordiae, aliiſque clinicis, eſt remedium tutum atque efficax.

Daniel Moores, M. D. Marilandiae, de hoc medicamento agens, dicit, " Quanquam arſenicum centies ad febres arcendas adhibitum vidi, medici expectationem unquam fefelliſſe non memini, neque aliquid mali aegroto ex ejus uſu accidiſſe vel ſemel novi. Etiam infantibus duos annos natis, febribus intermittentibus laborantibus feliciſſimo cum ſucceſſu dedi, cum nullo modo exorari poſſent ut corticem ſumerent. Novi quoque ſenem octogenarium febre intermittente affectum, qui pilula una arſenici, ſextam grani partem continente, cito et tuto ad ſanitatem redactus fuit *."

Quamvis febrium intermittentium curſus modis ſupra poſitis ſatis plerumque facile ſiſtitur; reditus

* Diſſ. Inaug. de Feb. Remitt. Mariland. Edin. 1787.

reditus tamen ipſarum ſemper difficile praevenitur: Immo hoc aliquando fieri non poteſt. Cortex enim, licet multis laudibus ad hunc effectum praeſtandum efferatur; morbo tamen venienti haud eadem efficacia occurrit, ac eundem praeſentem coercet, ac ſiſtit.

Obſervandum eſt autem, in exemplis, quibus cortex, intervallis regularibus poſt morbum coercitum praeſcriptus fuit, recurſus paroxyſmos non ſolum leviores plerumque fuiſſe, ſed etiam plus diatheſeos phlogiſticae ipſis inductum fuiſſe; morbumque poſt paucos acceſſus ſua ſponte terminandi proclivitatem oſtendiſſe.

Corticem cauſam morbi occaſionalem haud foras eliminare aut perdere hinc patet, quod iterati in morbum lapſus ab omnibus quae corpus infirmant, inducuntur.

Cel. Jackſon obſervat, febrium intermittentium recurſum diebus paribus poſt paroxyſmum repreſſum contingere; horumque dierum inſigniores eſſe diem ſextum, octavum, duodecimum, decimum quartum, vigeſimum, vigeſimum ſecundum, vigeſimum octavum, et trigeſimum.

Dies decimus quartus prae caeteris hoc eventu inſignitur; et poſt hunc annumerandi ſunt dies duodecimus, vigeſimus, et vigeſimus ſecundus; niſi ubi morbus qui graſſatur eſt malignior: Tunc enim magnus morbi recidivi numerus die ſexto et octavo haud raro contigit.

Si ad omnes res aegri circumſtantes, et morbum per populum graſſantis naturam et gravitatem animum advertamus, ſaepe conjecturam ſatis probabilem de die quo morbus reverſurus eſt facere valebimus.

In

In exemplis quibus eſt cur ſuſpicemur, morbum brevi reverſurum: Die quinto poſt paroxyſmum coercitum, cortex magna quantitate praeſcribendus eſt. Omneſque cauſae infirmantes ſimul caute vitandae ſunt. In aliis autem caſibus, pro gradu virium aegri, et morbi dominantis indole, cortex uſque ad diem undecimum, decimum nonum, aut vigeſimum ſeptimum, differri poteſt.

Haec recurſum praeveniendi methodus plerumque per tres dies continuari decet, vel donec dies quo morbi recurſus expectatur, praeterierit.

Obſervandum denique, nexum aliquem inſignem, parum autem intellectum, in regionibus calidis, non autem frigidis*, plenilunii et novilunii acceſſum inter et morbi recurſum † intercedere.

Praeter

* Greg. Praelectiones de Med. Prac.

† Vid. Inaugural Diſſertation, by James Lind, M. D. publiſhed at Edin. 1776; alſo Balfour on Fevers.

Praeter dies igitur ſupra memoratos, animus ad has lunae mutationes ſemper advertendus eſt.

Si praecepta ſupra dicta ſedulo obſervantur, cavere plerumque poterimus, ne morbus lethalis fiat, aut aegri vires ac ſanitatem inſigniter labefactet.

Fatendum eſt autem, in regionibus calidis et quibuſdam terrae locis, nihil plus plerumque arte noſtra effici poſſe quam aegrum in ſtatu valetudinario conſervare, donec temperies coeli frigidula, loci, aut vitae generis mutatio actuoſas corporis vires excitant; et ad ſanitatem perfectam reſtituendam conferant. Nihil enim ad febrem intermittentem ſanandam magis quam idonea corporis exercitatio facit, et nihil magis praecavere ne paroxyſmus, accidat ut docemur verbis ſequentibus doct. et elegant. Celſi.

"Quo

"Quo die vero (inquit) febrem expectabit,
" ante ſurgere, et exerceri, dareque operam o-
" portet, ut in ipſam exercitationem tempus
" febris incurrat: Sic enim ſaepe illa diſcuti-
" tur."

F I N I S.